

obturato interim infernè foramine vel clauso epistomio, donec aquæ plena fuerit hydria; mox autem, remoto priùs infra digito obturante aut recluso epistomio, sibi linquntur orbiculi; superior equidem statim ascendit, inferior autem supra fundi foramen pro more suo hæret. Docuitque nos Phæn. XXI. multiplex hujus rei tentamen perinde esse, sive ejusdem fuerint sive diversæ diametri, ejusdem an diversæ gravitatis orbiculi memorati, sive item gravior aut major, sive minor aut levior imo loco ponatur. Nec ulli dubitamus verissimum esse quod idem Vir laudatissimus Operum Philos. Tom. I. p. 372. commemorat de experimento præsentis ἀντιστόφω Tubi cum valvula & duobus obturaculis, interiori & exteriori, quod sc. interius & foramini tubi propiùs, quanquam multò Phæn. XXII. ponderosius, hæreat valvulæ, exterius, quanquam multò levius, decidat; tametsi rem ipsimet experti nondum simus, quòd valvula nostra minùs profunda duo hujusmodi obturacula spissiuscula commodè non admittat, vel etiam rem evidentissimè indubiam tentare supervacaneum credemus.

XII. Tametsi verò eorum etiam veritatem facile perspiciebamus, quæ circa hydriam interiorem adnotaverat; horum tamen facere propriâ manu periculum operæ pretium magis videbatur. Positam itaque decenter in exteriori interiorem hydriam ex altero bilancis exactioris brachio suspendimus ope chordæ *lm* in puncto medio *l* hydriæ interioris (Vid. Fig. 39.) firmatæ & per foramen *L* in operculo exterioris transmissæ; ex altero verò vasculum plumbeum *Z* (Fig. 41.) injectis insuper globulis plumbeis ita libravimus, ut hydriam interiorem in æquilibrio liberè suspensam teneret, fundo tamen suo exterioris fundum superiorem perforatum leviter adhuc attingentem. Sic verò libratâ inferiore hydriâ, per foramen operculi exterioris *L* aquam affudimus, quæ paulatim & interiorem hydriam per quatuor ejus foramina superiora, & hanc ambientem exterioris cavitatem,

E e

tatem,